


05

A

1441





1
O
O
D
SS
*
17



20
Q. F.
DISPUTATIO LOGICA
De
SUBSTANTIA ET
ACCIDENTE.

Quam

D. T. O. M. A.

in florentissima LEUCOREA,

PRÆSIDE,

VIRO

Plur. Reverendo, Excellentissimo, atq̄ Clarissimo

DN. JOHANNES SCHARFIO
SS. THEOL. D. EIUSDEMQUE PROFESSORE
EXTRAORDINARIO, NEC NON LOGICES ET
METAPHYSICES ORDINARIO PUBLICO
CELEBERRIMO,

Publicè discutiendam


P.

FRIDERICUS SCHERERTZ

Lunæburgensis.

in Auditorio Majori

Ad D. XXII. Septembr. hor. matut.



WITTEBERGÆ,

Excudebat JOANNES RÖHNERUS, Acad. Typogr. Anno 1647.

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CON-
SULTISSIMIS, ATQUE EXCELLENTISSIMIS,

DN. VVILHELMO VVULKOVIO U.J.D.
EXIMIO, INCLYTÆ REIP. LUNÆBURGENSIS CONSULI
OPTIME MERITO, ET p. t. EJUSDEM DIRECTORI
PRUDENTISSIMO,

DN. HENRICO MÖLLERO JCTO
EXIMIO, CONSULI IBIDEM BENE MERITO ET
PATRITIO SPECTATISSIMO.

DN. CHRISTOPHORO TÖBINGIO
SENATORI IBIDEM, ET PATRITIO
SPECTATISSIMO.

DN. CHRISTOPHORO TÖBINGIO
SENIORI, PATRITIO IBIDEM SPECTATISSIMO.

DOMINIS, EVERGETIS, AC MAECENATIBUS SUIS OPT. MAXI-
MIS, CVLTUQUE PERPETUO EX MER. PIE PROSE QUENDIS,
HASCE STUDIORUM SUORUM ACADEMICORUM
PRIMITIAS

IN

EORUNDUM TESTIMONIUM
GRATIANIMI SYMBOLUM
DEBITÆQUE OBSERVANTIÆ PIGNUS

UTI MERITO DEBUIT
ITA LUBENS VOLUIT

DICARE, DICANDO CONSECRARE, CONSECRANDO
PQ OFFICIOSE OFFERRE

AD EORUM MAGNIF. NOBIL. ATQUE EXCELL.
quæcunq; desideria se quam diligentissimè comparans

FRIEDERICUS SCHERERTZ
LUNÆBURGENSIS, RESP.



05 A 1447

Wadi onna 13097 T. 604

DE SUBSTANTIA ET
ACCIDENTE.

THESIS I.

Vulgatissima est divisio Entis in Substantiam & Accidens, quæ omnia rerum genera comprehendit, ita ut nullum verum reale Ens in Ordine rerum dari possit, quod non sit vel *Substantia* vel *Accidens*. Quam divisionem Aristoteli communiter adscribunt, indeque versum formarunt:

*Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum,
In duo divisit quicquid in Orbe fuit.*

Divisio ea tum in Metaphysicis, tum in Logicis proponi solet. Unde & nos hac vice breviter quædam saltem de Substantia & Accidente repetemus.

II. Substantia est Ens per se subsistens, quod non est in alio, tanquam in subjecto. *Communiter è Phil. Melancht. in Dialecticis definiri ita solet.* Substantia est Ens, quod habet proprium esse & sustinet Accidentia. *Quæ notissima Substantia Logica, & Predicamentalis descriptio est.*

Substantia.

III. Substantia igitur h. l. non latissimè aut confusè sumitur pro quavis *ἔσσις essentiali*, uti non rarò ab Oratoribus, Philologis, Xenophonte, Quintiliano, aliisque, etiam à Philosophis usurpari solet, nec strictissimè pro *Substantia primâ*, quæ *πρώτως* sic dicitur: sed præcisè opponitur Accidenti, sicque dicitur, quod subsistet Accidentibus, aut ut alij addunt negativè, quod ei nullum aliud subsistet, & ita primò & per se esse habeat.

IV. Substantiam esse *Ens verum* per se faciliè constat. Habet enim esse verum sive essentialiam realem, nec non attributa Entis ei quàm maximè competunt: Qualia in Metaphysicis per plurima enarrantur, & *πρώτως* dicuntur de Substantia, quæ propterea de prædicari consuevit Objectum Metaph. primum primitate attributionis.

V. Est autem Ens *per se subsistens*, non quod à se ipso sit, & non ab alio. Hoc enim solius DEI, primi Entis, proprium est, reliquæ substantiæ omnes esse participatum habent aliunde, sicque dependent etiam in essendo ab alio: neque propterea sic dicitur, quod solitariè habeat esse, quasi illud ejus proprium sit, ut non sit in aliis, sed in oppositione ad Accidens sic dicitur, quod propriam essendi & existendi rationem habeat in se sine alio subjecto, adeoque non sit in alio, tanquam in subjecto.

VI. Rectè igitur hîc notant docentque Philosophi, quod ratio loquendi seu phrasis *per se subsistere* non neget I. *τὸ esse in causis*. Nam & illa substantia est, quæ in causis latitans, sic tamen est comparata, ut postquam ex ipsis emerferit, jam sustentantis ope non indigeat. Neque II. *dependentiam ἐν τῷ γενέσθαι in fieri* (omne namque Ens seu Substantia seu Accidens in fieri ab alio dependet) modo in esse continuato subsistentiam non habeat ab alio. Neque III. *dependentiam in esse à causis universalibus*. Neque IV. *coexistentiam cum alio, ut parte, aut in existentiam ut in toto*. Neque V. *existentiam locati in locato*. Neque VI. *Essentialem in existentiam generis in specie, vel speciei in individuo*. Ut ergo Substantia per se subsistat, requiritur, ut non sit in alio *per essentialem receptionem* (quæ substantiæ receptæ sit ἁπλοῦς) *Substantiæ in aliud Ens* 2. per necessariam subsistentiæ largitionem.

Hurtadus de
Mendoza.

VII. Valde argutus sibi hîc videtur Petrus Hurtadus de Mendoza, Diss. X. Metaph. sect. 2. §. 6. 7. & seqq. ubi prolixè commentatur, quomodo substantia dicatur per se esse, ac per se subsistere. Communis, inquit, substantiæ conceptus est *Ens per se, i. e. Ens per suum conceptum stans, sine inhaerentiâ ad subjectum*, & mox subdit: *Est igitur Ens per se i. e. Conceptus Quidditativus rei, quo durante & res durat, ceteris omnibus aut mutatis aut circumcisis, quo abscedente & res perit, tametsi adsint cetera*. Explico, pergit ille, v. g. Petrus, aut hic leo, aut lapis, habent nonnullos conceptus, quibus denominantur Petrus, Leo, Lapis, quantumcunq; alios conceptus mutant. Item, licet non mutant alios conceptus, jam nec sunt Petrus, nec lapis, nec Leo, hoc patet. Item Petrus qui nunc amat, postea odit objectum amatum prius, per quam mutationem voluntatis mutantur in Petro hæc prædicata: *Amans, odio prosequens, & ex amante fit non-amans, & amans ex non-amante*.

amante: & tamen per mutationem amoris & odij non mutatur hoc
prædicatum Petrus, sed perseverat, & licet, quum non amat, sit falsum
affirmare, nunc est amans, non tamen affirmatur falso, nunc est Petrus.
Ecce quo pacto duret in Petro id, per quod est Petrus, licet alia prædi-
cata non durent. Idigitur, per quod Petrus durat, est Substantia
Petri & essentia: cetera v. non sunt de ejus Substantia. Hinc §. 10.
colligit, cur Substantia dicatur Ens per se, nempe quia per se sive
per suum conceptum constituit rem, quam absolutè vocamus rem s. ho-
minem aut equum, & quia rem per se constituit, inde oritur, eâ Sub-
stantia durante, non posse rem talem non durare. Tolle enim à Petro om-
nem actionem ac entitatem, quæ per se non constituat Petrum, adhuc
manet Petrus. Tolle rem aliquam, per quam Petrus per se constituatur, &
maneant cetera, implicat manere Petrum, quia manere non potest sine
iis, quibus per se & formaliter constituitur & c. Hæc ille, suo more
argutè ac spinosè satis. Verum errat non parum, & fallitur.
Conceptus iste quidditativus non definit substantiam, ut acci-
denti prædicamentali opponitur, quæ acceptio hujus loci est,
sed pertinet ad essentiam rei internam, quatenus ea distinguitur
ab iis, quæ extra essentiam insunt, sive non prædicantur in quid
sed in quale. Qualis ratio essentiæ & conceptus quidditativus
etiam in Accidentibus prædicamentalibus locum habet. Quæ
& ipsa habent suos conceptus proprios, durantes cum ipsis, ut
cum Mendoza sic loquamur. Adde, quod frustra sic argutetur:
Non enim ostendit, quodnam sit illud, quo constituatur res,
quæ absolutè vocatur res. Hoc est, quod quæritur. Hoc non
est conceptus quidditativus, utpote qui & aliis essentiis com-
munis est.

VIII. Rectius alij docent, substantiam dici per se esse &
subsistere, quod non requirat aut postulet aliud ad suum esse,
præterquam principia sua essentialia & substantialia, non re-
quirat fulcrum seu subjectum, in quo sit & esse habeat, sicuti è
contra Accidentium essentia requirit aliud interveniens sive
concurrentes, in quo sit & esse habeat, & sine quo esse non possit.

IX. Substantia est vel prima vel secunda. Prima dicitur,
quæ neque in subjecto ullo est, neque de subjecto aliquo dici-
tur, ut Petrus, Paulus, hic homo, hic equus, hic canis, hic Sol, hoc

cœlum. In Logicis vocatur *individuum Substantiale*, quod est basis reliquarum Substantiarum. *Substantia Secunda* dicitur, quæ quidem non est in subjecto, prædicatur tamen de subjecto, ut homo, canis, Sol, equus, leo, herba, planta, terra &c. In Logicis vocari solet *Substantia universalis*, ut sunt genera & species, quæ & universalis sunt, & quia in Prædicamento substantiæ accipiuntur, universales substantiæ non immeritò nuncupantur.

X. Aliàs non negamus, quod absolutè loquendo sub certa ratione, vel saltem ex mente Aristotelis in lib. Categ. distinguantur Substantiæ primæ, & substantiæ singulares, itemq; Substantiæ secundæ, & Substantiæ universales. *Substantiæ primæ* sic dicuntur in ordine ad substantias secundas, quibus substant & quarum fundamenta sint, adeò ut rectè dixerit Aristoteles: *Sublatis Substantiis primis tolli quoq; secundas*, nec super esse eas amplius posse. *Substantiæ singulares* sic dicuntur in respectu ad universales, ad genera & species substantiarum, quatenus iisdem substant, sicque individua Logica sunt, & fulcra universalium substantiarum.

Massonij error.

XI. Notandus hic præcipuè est error Calvinistarum, Massonij, Beccmanni, aliorumque, qui disputant, substantias singulares esse individua Logica, *Solem, Lunam, terram, ignem, & alias similes monadicas species*. Hinc putant, disputantque esse ejusmodi singularia, quæ Genus quidem habeant, sed nullam speciem, ideoque in illis prædicari genus sine specie. Sic Massonius in *Anat. Univ. Triumph. cap. XV. pag. 678. & seqq.* Es sind viel Dinge/ schreibt, welche sind lauter singularia, vnd haben keinen Speciem, als die Erde/ die Sonn/ der Mond/ der Morgenstern/ vnd dergleichen/ vnd daher sagt man/ die Sonn ist ein Planet/ die Erd ist ein Element/ da wird vom individuo non mediante specie, das genus ausgesprochen. Hæc Massonius. Sed turpiter errat, dum statuit terram esse individuum, nec non Solem aut Lunam & ejusmodi alia. Individua solo numero differunt & conveniunt essentiâ eâdem. Ergone Sol, Luna, Venus, Ignis, &c. Sunt ejusdem essentiæ? absurdum. Individua quidem sunt: Hæc Terra, hic Sol, hæc Luna, hic ignis, sed quum absolutè dicitur Sol, Luna, Terra, tum ibi designatur species *μοναδική*, non individuum. Nec minus

nus errant Calvinistæ in eo, quum disputant, *ibi predicari genus sine specie*, quando dicitur: *Die Sonne ist ein Planet/die Erde ist ein Element*. Et hoc, inquam, falsissimum est. De specie ibi prædicatur genus, non de Individuo, nisi fortè hunc Solem, hanc Terram, hanc Lunam intellectam velis. Quæ quidem Individua sunt, & de illis prædicatur genus: verum non immediatè, sed mediatè, sc. mediante specie, non secus ac communiter in multis aliis fieri solet. v. g. Hic homo est animal. Petrus est animal hoc aurum est metallum. Hic canis est bestia.

XII. Cæterum quomodo Individuum, nec non Substantia absolutè distinguatur ab Individuo Logico, & Substantiâ Logicâ: Item quomodo substantia prima distinguatur à supposito & personâ: quomodo substantiæ dividi soleant in spirituales & corporeas, & rursus corpora in simplicia & mixta &c. illud alibi prolixè edoceri solet, & in Metaphysicis exposuimus, unde repeti possunt. Certum omninò est, quod non omnis substantia prima statim sit suppositum, ut patet in substantiis incompletis & partibus suppositorum. Quin nec omnis substantia prima completa in essendo statim est suppositum proprium. Contingit enim non rarò, ut suppositetur in alio. v. g. ignis, aër, aqua, terra in mixtis corporibus, quorum sunt partes essentielles. Elementa quatenus in mixtis corporibus existunt, tanquam eorum partes essentielles, substantiæ quidem primæ sunt, sed supposita propriè non sunt, sed dependent à subsistentia mixtorum, uti contra Photinianos, nominatim contra Goslavium, alibi prolixè disputatur.

XIII. Accidens est Ens, quod esse suum habet in alio, tanquam in subjecto. Dicitur *Ens*, quia ipsi competit realis & positiva entitas ab entitate Substantiæ distincta. Dicitur verò esse *in aliquo, tanquam in subjecto*, quo distinguatur à Substantia in modo existendi & essendi. Notanter dicitur, *quod est in alio, tanquam in Subjecto* h. e. quod ita est in alio, ut non sit pars ejus, in quo est, nec pars cum eo, in quo essentialiter est, quodque inseparabiliter ita sit in alio, ut extra illud existere nequeat. Notant insuper Authores, quod esse in subjecto sit, ut quid extrinsecum subjecto, non constituens illud in esse substantiali. Item esse in eo per realem inhaerentiam.

Accidens.

XIV. Hinc

XIV. Hinc Accidens illud est, quod alteri inhæret per realem inhærentiam, quodque forinsecus Substantiæ additum ita inest, ut sine subjecto suo esse non possit, sicque in alio esse suum habeat.

XV. Petrus Hurtadus de Mendoza hic rursus suas prodit argutias *Disp. XII. Phys. sect. 4. §. 41.* Conceptus Accidentis est, ut sic esse extra conceptum rei, omneque Accidens est intrinsecè dependens naturâ suâ ab aliquo, vel tanquam à subjecto inhærentis, ut sunt omnia Accidentia absoluta, vel tanquam à subjecto intrinsecæ denominationis, quod ab alijs vocatur adhærentis, qualis est creatio. Et hoc sensu Accidentis esse est inesse. Hæc ille.

XVI. Sed observes rectius, hic agi & sermonem esse de Accidente Prædicamentali, quod præcisè opponitur Substantiæ in essendo & existendo, non de prædicabili. Hoc enim & Substantia esse potest, cum sic saltem dicatur in modo prædicandi, quatenus de alio extraessentialiter & accidentaliter prædicatur, utpote quando dicitur: Ferrum est ignitum, mare est salsum: annulus est aureus. Quæ omnia vulgatissima sunt, nec indigent uberiore explicatione. Dubium saltem unum vel alterum, quod ad præsentem materiam pertinere videtur, & ventilatione dignum est, breviter expediemus.

QUÆSTIO I.

An DEUS sit in Prædicamento Substantiæ?

Supremum Numen DEUM Opt. Max. verè ac propriè *ἰσία*, Sessentiam & substantiam esse cum omnibus Orthodoxis lubentes fatemur, & alibi prolixè edocuimus, sed eum propterea in classem Prædicamentalem referendum esse, id est, quod dicere non ausim, cum reverentiæ divinæ Majestas omninò prohibeat, nec sine omni temeritate fieri queat. Graviter monet Chrysostom. Homil. II. in cap. 1. Epist. ad Ebr. *Ubiq; quidem nobis religioso opus est intellectu, maximè autem ubi de DEO vel aliquid loquimur vel audimus, quoniam neq; ad loquendum dignè de DEO lingua sufficit, neq; ad percipiendum prævalet intellectus. Et quid dico linguam vel intellectum? cum nec ipsa pars mentis eminentior, quæ eis multò superior est, aliquid integrè valeat comprehendere, quando de divinitate differimus. Si enim pax DEI transcendit omnem mentem,*
Et ea

245
24

~ ~ ~ ~ ~
~ ~ ~ ~ ~
~ ~ ~ ~ ~

~ ~ ~
~ ~ ~

Et ea, quæ preparata sunt diligentibus eum, in cor hominis non descendunt, multò amplius ipse, qui pacis est DEUS, qui omnium est opifex rerum, inestimabiliter nostras cogitationes exsuperat. Cautè igitur, & non nisi reverenter loquamur de DEO oportet. At verò quod in præsens nobis advertendum est, temerarii nimis sunt, quicunq̃ue ex Prædicamentis æstimare omnia non verentur, quæ de DEO dicuntur, qui quàm longissimè atq̃ue eminenter, prorsus excedit, quicquid alicubi rerum est, aut in aliquo Entium ordine consistit. Luxuriant hac in re non pauci è Scholasticorum turbâ, Gregorius Ariminensis in primâ Summæ dist. 8. q. 3. Art. 2. Gabriel Biel ibid. q. 6. Marsilius in 1. sent. q. 12. Joannes Bacconitanus ibid. dist. 9. q. 1. Major Dist. 8. q. 1. quorum vestigia è recentioribus legit argutiarum faber Mendoza Disp. IX. Metaph. sect. 4. Perionius in Dialecticis, & hodieq̃ue nonnulli audaculi. Nihil equidem miror Calvinistas à Ramo & Keckermano pravè informatos, Timplerum, Goclenium, Piscatorem, Massonium, aliosq̃ue gregales fingere in DEO & Genus, & Speciem, & differentias, & definitiones Logicas, eos saltem circumspetiores esse velim, qui Orthodoxæ religioni addictos se profitentur. Cujates sint, errant non parum, qui divina prædicamentis Logicis subjiciunt. Nos contrà constanter docemus, DEUM nullo modo esse, in Prædicamentis. Rationes sunt.

1. Quia DEUS non est sub genere, tanquam Species, aut Speiciei Individuum, nec per Differentiam specificam contrahitur. Prædicamenta sunt classes rerum per genera, species, & differentias dispositarum. At verò DEVS non est species seu specie unum, cum non sit universale, aut Ens rationis, quod per intellectum formatur, quodq̃; ante operationem mentis formaliter non est, nec multiplicabile quoddam in DEOS plures, uti de fide certissimum est, & per se constat. Neque est Speiciei Individuum, cum hoc omne & semper includat speciem sive naturam specificam, ex quâ constituitur, tanquam ex communi natura, quæ etiam in alio quodam Individuo est, vel ad minimum esse potest. Tale Individuum, quod Prædicamentale vocamus, DEVS non est. Vnde patet, quod natura DEI per nullam differentiam, nec specificam, nec Individualem contrahatur ad esse vel specificum.

B

vel

vel Individuale: adeo repugnat DEO tota & omnis ratio sive natura universalium, ut nec Genus, nec Species esse possit, nec Individuum Prædicamentale, nec ullam habere differentiam Logicam. Concludimus ergo:

Quicquid neq³ est Species, neq³ Individuum Prædicamentale, neq³ per ullam differentiam Logicam contrahitur, illud nequaquam est sub genere aliquo Logico, & per consequens nullo modo est in Prædicamentis.

DEUS O. M. neq³ species est, neq³ Individuum Prædicamentale, neq³ per differentiam ullam Logicam contrahitur.

E. DEUS O. M. non est sub genere aliquo Logico, & per consequens nullo modo est in Prædicamentis.

Major probatur ex definitione Prædicamenti, quod formaliter consistit in ordine Generum, specierum & differentiarum, usque ad earum Individua, quæ basis sunt totius Prædicamenti. Notes ergo, quod superiora ibi sint genera, vel species intermedia cum suis differentiis. Inferiora autem sint species & Individua. Minor autem nota satis est ex dictis, & ab Adversariis simpliciter negari non potest. Vanissimum est, quod quidam Philodoxi in Disputatione Philosophicâ Anno 1640. habitâ contra disputarunt, quodque exinde Calvinista Massonius part. II. Anat. Triumph. cap. ult. puncto 6. pag. 1570. adversus Dn. D. Jacobum Martini adducit. Primò scribunt, non omne id esse speciem, quod in Prædicamentis ponitur, eum etiam Individua ibi collocentur. R. nihil contra nos. Concedimus & Genera & Differentias Logicas & Individua disponi Logicè in serie Prædicamentali, sed ita tamen, ut neutrum illorum destituatur sua specie, quia omne Genus est speciei Genus, & Differentia est pars speciei, & Individuum est basis speciei, adeo ut nullum Individuum Prædicamentale esse possit sine specie. Contendunt porro non necessarium esse, ut hic semper sint Genera & Differentiæ communiter sic dictæ, sed sufficere conceptus superiores communes, & proprios Qualificativos seu contrahentes. Resp. Erroneum hoc valdè est, & temerarium nimis. Daturne Prædicamentum sine Generibus & Differentiis Logicis propriè sic dictis? Absurdum. Superiora quæ ibi disponuntur, Genera sunt,

sunt, utpote Summa Genera dicuntur, Substantia, Quantitas, &c. quibus subjiciuntur intermedia Genera & Species usque ad earum Individua. Falsissimum est in DEO esse conceptum superiorem Genericum. Falsissimum est, in DEO esse Differentias contrahentes. Neque verò est, quod Mendozae argutias moremur, cum temerè sine omni fundamento fingantur, nec non contrà manifestam veritatem disputentur, quam ipse tamen agnoscit. §. 44. Ideoque eà facilitate rejiciuntur, quâ afferuntur. Concedit ille, DEUM non esse Individuum alicujus speciei infimæ prædicabilis Disp. IX. Metaph. sect. 4. §. 35. Nota, infimam speciem non esse in DEO, fatetur ipse. At verò quid fiet de aliis intermediis speciebus, quales sunt: Substantia incorporea sive intellectualis, spiritus completus. Anne eas attribuet DEO? Anne DEUS cum creaturis convenit in aliquâ specie intermediâ? impium & blasphemum! Sed porrò concedit Mendoza, DEUM non convenire cum aliis in ratione specificâ §. 37. nec habere communem conceptum specificum cum aliis, argutatur tamen DEUM immediatè subjici alicui conceptui communi, creaturis quasi genericè. At hoc quasi stolidum est & frivolum Mendozae commentum. Nullum Individuum immediatè subjicitur Generi, nec quasi generi, sed semper mediante naturâ specificâ, nec sufficit h. l. quasi genericus conceptus, sed verus sit oportet. Addit tandem *ly increatum* esse conceptum DEI singularem, & Differentialem, sicut rationale hominis. Haftenus Mendoza. Et hoc falsum est. Nam Differentia est incompletum quid, & extrâ rationem superioris Generis; sed in DEO tale quid fingere non licet. Ut ex Aristot. eruditè disputat Suarez disput. XXX. Metaph. sect. 4. num. 32. Inconcussum ergò stat nostrum primum argumentum.

Secundò probamus nostram sententiam à *DEI Simplicitate, Puritate, & Infinitate*. DEUS est actus purissimus, infinitus, summè simplex, nulloque modo est compositus neque ex actu & potentiâ, neque ex Genere & Differentia. E. nullo modo est in Prædicamentis. Quicquid enim in Prædicamentis est id omne est compositum. Nec obstat, compositionem ex Genere, & Differentiâ non esse realem, sed rationis tantum, quæ non

arguat imperfectionem in DEO tanquam in Objecto, sed in actu nostro, à quo dicitur Objectum determinabile extrinsecè, ut Petrus Hurtadus de Mendoza d.l. §. 33. disputat. At rectius Suarez Disp. XXX. sect. 4. num. 35. docet. Compositio, inquit, ex Genere & Differentia non potest cogitari in DEO, non quia in rebus creatis Genus & Differentia ex natura rei distinguantur, sed quia dicunt rationes præcisas & limitatas, ut repugnent divinæ infinitati & simplicitati. Nam ex infinitate primariò provenit, ut in DEO concipi non possit propria ratio Generis & Differentiæ, & consequenter, quod tanta DEI sit Simplicitas, ut non solum secundum rem, sed etiam secundum rationem excludat propriam compositionem. Sic igitur etiam compositio rationis removenda est à DEO, idque à fortiori, cum compositio ex Genere & Differentiâ habeat fundamentum in reipsâ, & fundetur in compositione, quæ est ex actu & potentiâ, ex esse & essentiâ. Nullum autem potentiale in DEO locum habet, quod per actum aliquem superadditum compleatur seu determinetur.

Tertiò demonstramus sententiam nostram à *summa DEI Perfectione*. DEUS perfectissimus est, & omnis imperfectionis expers, quia omnes perfectiones in se eminenter continet. Ergò non potest, nec debet certo Prædicamento subjici. Quam in rem eruditè disserit Suarez Disp. XXX. sect. 4. num. 32. Genus, inquit, ut sic, non potest dicere infinitam perfectionem, cum sit quid informe & Potentiale. Rursus nec differentia propria potest dicere infinitam perfectionem, cum non includat perfectionem Generis, quæ necessariò debet esse simpliciter simplex, si tale Genus DEUM comprehendit. Ergò ex tali genere & differentiâ non constituetur infinita essentia. Ergò simpliciter repugnat, infinitam essentiam, ut sic, ex Genere & Differentiâ componi. Quocirca licet in DEO possit concipi ratio aliqua communis, saltem analogà DEO & creaturis, & aliqua ratio determinata & propria DEI, non possunt tamen in DEO concipi ratio determinabilis, & ratio determinans ita præcisè, ut neutra in alterâ essentialiter includatur. Est enim hic modus compositionis proprius rei finitæ, quæ ex vi suæ differentiæ constitutivæ includit limitatam ac præcisam aliquam perfectionem &c. Saltem

Saltem ibi sunt conceptus magis determinati, juxta determinationem conceptuum transcendentium. Legatur Suarez ipse d.l.

Quartò *ab infinita distantia DEI à creaturis*. DEUS à creaturis distinguitur non per aliquam differentiam, sed per totum suum esse, & prorsus infinite distat ab omnibus rebus creatis, adeò ut Philosophi ex Aristotele statuunt, DEUM & creaturas non esse differentia quædam, sed primò diversa. Ergo DEUS nequaquam est cum creaturis in communi Prædicamento.

Denique Quintò *ab authoritate Ecclesie Catholice, S. Patrum, nec non à Testimonio Orthodoxorum Theologorum & Philosophorum*. Athanasius in Orat. contra Sabellii gregales in medio p. 93. cum rebus, inquit, æternalibus, quæ æterna non sunt, in eandem classem redigi non possunt: & cum Deitate ea, quæ participatum Deitatis non habent, eodem ordine & gradu constituere non licet. Clemens Alexandrinus lib. I. Strom. DEVS neque Genus est, neque species, neque differentia, neque Individuum, scil. sed sub specie contentum. Augustin. lib. IV. confess. c. 16. retractat eam opinionem, quod DEVM aliquando ad Prædicamentum retulerit. Idem. Lib. de cognit. veræ vitæ c. 3. scribit: Nomine & Verbo apud Logicos cuncta exprimuntur, quæ sub decem prædicamentis humano corde percipiuntur, sed quod ex iis nullum proprie DEO conveniat, manifesta ratio comprobat. Nam si dixerimus, quod DEVS substantia sit, quæ omnibus subsistere tribuit, & per quam omnes res esse habeant, mox universalia in DEO concipienda erunt, id quod impium est atque absurdum. Porro Augustinus Lib. V. de Trinitate cap. i. omnia remouet à DEO, quæ in Prædicamentis collocantur. Vnde aperitur, prædicamenta artis Dialecticæ DEI naturæ minimè convenire, quæ nullis est subjecta accidentibus, ut ex Augustino notat Lombardus lib. I. sentent. Disput. 8. Et hinc est, quod Augustin. lib. VII. de TRINITATE c. 5. docet: DEVM non esse substantiam, nisi abusive. sc. Prædicamentalem. Damascenus lib. I. de Orthodox. Fide c. 8. & 12. graviter inculcat, DEVM esse substantiam *ὑπερσούτως*, supersubstantialiter, eò quod transcendat longè omnem substantiam Logicam, idque deducit ex Dionysio Areopagitâ, qui lib. de divinis Nominibus c. 3. & 5. prolixè docet,

DEVM præstantiori modo esse, quàm substantiam. Anselmus Cantauriensis in Monologio c. 36. disertè ait : Substantiam divinam nullo communi substantiarum tractatu includi. Idem prolixè è S. Patribus docent Scholastici *super lib. I. sentent. Diss. VIII. Thomas Aquinas primâ Summa, quæst. 3. Artic. 5. & c. Alexander Alens. Vasquez & c. adde & Philosophos, quos magnâ seriè citat Laurentius Wegerus quæst. 8. in Libr. Categ. Præcipuè notentur Dn. D. Jacobus Martini in Exercit. Metaph. lib. II. exerc. 4. Theor. 8. in speculo rationis lib. I. c. 26. p. 569. & seqq. D. Finkius part. II. Schediasm. 26. Scheiblerus de Prædicam. c. 2. quæst. 3.*

OBJECTIO I.

DEVS continetur sub subiecto Logices, & in ordine à summo Genere usque ad Individuum. Ergò est in Prædicamento. Quod argumentum urget *Masson. contra D. Jacob. Martini in part. II. Anat. Triumph. cap. 33. puncto 16. p. 1570. Was* inquit, antwortes er auff dieses Argument/das wir jekunder brauchen : Was enthalten ist vnter dem Objecto Logices, vnd in der Ordnung von dem höchsten Genere an/bis auff das Individuum (inclusivè) das ist im Prædicamento. Gott ist also enthalten. Darumb ist Gott im Prædicamento.

Der 2. Satz ist offenbar. Denn Gott wird enthalten vnter dem Ente, vnd Ihmes wie auch andern Dingen können *Logica Notiones* zugeignet werden. Denn Gott ist ein *Nahme/Subjectum, Prædicatum*, Er kan seyn *medius terminus, Majus* oder *Minus Extremum*, vnd so fort. Er wird gesetzt in der Ordnung *Conceptuum* nemlich zum Grunde/ vnd ist *Individuum*, so über sich den Geist vnd *Substantz* hat. *Hæc Massonius.*

Resp. Major limitanda est ita : Quicquid sub Objecto Logices continetur, tanquam sub genere, ita ut sit ejus Generis species, vel speciei Individuum, vel Differentia Logica, illud est in Prædicamento. Jam nego Minorem. Quoniam enim DEVS sit Ens & Substantia, nequaquam tamen Ens est Genus DEI, uti nec Substantia. Quin & in totâ Philosophiâ falsissimum est, Ens ullius rei Genus esse, Uti ex Aristot. Lib. II. posterior. Analyt. cap. 7. saniores quidq; docent Philosophi. Errat omninò Masson. in Anat. Univ. Triumph. part. I. c. 15. p. 639. quando disputat, Ens esse Genus Substantiæ. Ergone summi Generis, quale Substantia est, aliud superius Genus datur? Supremòne Genere superius?

tius? absolum. Errat porro, quando ibidem contendit, *Ens esse Genus DEI Logicum*. Errat crasse, quando scribit, *Ens esse compositum*. p. 638. Non utique negamus DEO attribui notiones Logicas, pure formales, quales sunt: Subjectum, Prædicatum, Major terminus, Minor, Medius. Sed inde non sequitur, *DEUM propterea in prædicamento esse cum ejusmodi notiones tribuantur etiam transcendentibus*. Quæ longè transcendent Prædicamentorum classes. Sed dicunt, in ordine tamen conceptuum poni DEVM, & quidem tanquam basin & Individuum, quod supra se habeat Spiritum & Substantiam. At hoc ipsum vel abusive fit & temere nimis, vel certè ejusmodi ordo non est prædicamentalis, nec ibi substantia tanquam Genus DEI considerari potest.

OBJECTIO II.

Excipiunt & opponunt alij prædicamenta nihil esse aliud, quàm classes prædicamentorum, quibus res universæ sub objecto Logicæ contentæ suo ordine dispositæ collocantur per suos conceptus ab inferiori ad supremum. Item Substantiam hinc considerari non ut est cum imperfectionis concrectione, sed uti abstrahit ab omni imperfectione, sicque DEI in Prædicamento constituti non essentiam coarctari, sed prædicata actu claro & confuso conferri, & sic seriem aliquam illorum prædicamentorum constitui. Item DEVM esse Individuum non determinatè consideratum, quatenus sit subicibile speciei infimæ: sed intentionaliter sumtum seu absolute sic dictum, quod nimirum est indivisibile in plura talia, quale est ipsum. Quibus præsuppositis & benè per ponderatis, ajunt, DEVM esse in Prædicamento, absurdum non est. Resp. Perversissima ea prædicamentorum descriptio est. Non quorumvis prædicamentorum superiorum & inferiorum classes faciunt & constituunt prædicamenta, sed ad ordinem prædicamentalem necessario requiruntur genera & species sine quibus prædicamenta Logica nec sunt, nec esse possunt, uti ex receptissima & tritissima eorum definitione notissimum est. Quæ à Neotericis illis Philosophis temerè innovatur atque ἀλόγως immutatur. Similiter vanissimum est, quod substantiam hinc considerare velint sine omni imperfectione.

Hoc

Hoc enim alienissimum est à prædicamentaliū substantiarum naturâ, nec talis ulla esse potest, cum universalium conditioni subjaceat omnis prædicamentalis substantia. Errant ergo non parum, qui Deum taliter in prædicamento constituunt. Individuum quidem in sano sensu dici potest, sed non Logicum, non prædicamentale, quod hujus loci est, & speciei Logicæ subjacet.

QUÆSTIO II.

*Num omnis Substantia Prædicamentalis sit composita, adeoq;
involvat imperfectionem?*

Affirm. Quia universalis naturam habet, estque vel ipsum summum Genus, vel Generi subjacet, ea vera, quæ est in Prædicamento Substantiæ sub Genere contenta, necessario componitur ex Genere & Differentiâ. Quæ compositio non est puræ rationis, sed fundatur in reali compositione ex actu & potentiâ, ex esse & essentia, quæ certè imperfectionem importat. Vnde Aristoteles cum lib. 3. Phys. c. 4. §. 3. distinxisset Ens in illud, quod actu tantum est, & quod potentia & actu est, tantum posterius dividit in Prædicamenta. Errant ergo qui DEVM generibus & Prædicamentis subjiciunt. Errat, Jungius, quando d. l. scriptitat Corollario 4. si DEVS dicitur esse sub Genere sive in Prædicamentis, non magis ipsi imperfectio tribuitur, quam cum dicitur subjectum Enunciationis, Major vel Minor terminus Syllogismi. Erroneum hoc est. Non enim eadem ratio est Generum, sive Prædicamentorum, quæ est Terminorum purè formalium in libro Secundo & Tertio Log. Illi enim aliquo modo respiciunt materiam, & non dantur nisi in creatis, finitis, & compositis rebus, quæ ad modum Generum & Specierum dividi & multiplicari possunt. Secus se res habet in terminis purè formalibus, quales sunt Subjectum & Prædicatum, terminus Major vel Minor Syllogismi. &c.

QUÆSTIO III.

An Accidens possit esse in diversis Subjectis.

Accidentis esse est inesse. Requirit. Resp. ergo certum Subjectum, in quo hæret. Et quidem quodvis Accidens suum determi-

rum
oni
ergò
nt.
ogi-
ogi-
deog,
sum
adi-
oni-
ouræ
ntiã,
nde
quod
erius
ibus
d. l.
e in
cum
inus
t Ge-
for-
modo
com-
di &
for-
major

atum habet subjectum, in quo primò & immediatè inest. Quod
uti per se certissimum est ac verissimum, ita tamen eò extendi
non debet, ac si Accidens nullo modo possit inesse pluribus.
Nam & toti composito & partibus, & certis mediis inest, v.g.
tactus, dolor & voluptas est in homine, in cute, in nervis seu
membranis, in animâ hominis, & in omnibus partibus. Punge
cutem & discinde digitos, & respondeas expertus. Pulchritu-
do est in facie hominis, in colore, in figurâ, in quantitate, in cute.
Potentia motrix est in animâ sensitivâ, in nervis, tendine & car-
neis fibris. Visus est in animâ, in homine, in oculo, in nervis opti-
cis: vis disgregandi visum primò est in candore seu albedine,
ut communiter statuunt Peripatetici, & per hanc in nive, quæ
propter candorem disgregat visum. Figuræ rectæ, curvæ,
sphæricæ, triangulares, quadrangulares, cubicæ, gibbosæ &c.
sunt in superficie, quantitate, corpore, materiâ. Sic linea dici-
tur curva vel recta, lignum curvum, mensa plana, superficies
cava, gibbosa, corpus item gibbosum, æs quadratum, cubi-
cum, &c. Observes ergo Subjectum esse aliud inhæisionis vel
denominationis, aliud immediatum, vel mediatum, aliud pri-
mum vel secundum. Quibus observatis concludimus, unum
numero Accidens primò & immediatè esse in uno Subjecto in-
hæisionis, sive per modum inhæisionis, ita tamen ut aliis quoque
mediatè sive per illud primum Subjectum, & *Ad ræq̃s* conveniat
per modum denominationis & prædicationis. Sic facultates ani-
mæ, sensus, appetitus, intellectus, primò & radicaliter sunt in
animâ, sed per eam postmodum sunt quoque in animato
corpore, in homine, qui omninò pollet intellectu,
appetitu, sensu.

C

Ad

ubje-
eter-
mi-



Ad Præstantissimum atq; Eximium

DN. RESPONDENTEM.

Quid precer, Affinis, Tibi per dilecte SCHERERTZI?
Moribus, arte, fide, magnum imitere Patrem.

sic vovet

Paulus Röberus D.




Ornatisimo atq; Eximio Dn. Respondenti
Amico dilecto.

ET juvat in Logicis sudasse, modumq; tenere,
Quò benè tractentur singula, lege suâ.
Stet rationis opus firmentur pondera rerum.
Sic vero constat gloria, fama Sophis.
Hoc agis, & Logicæ vires conquiris, Amice,
Perge, velut pergis. Præmia grata feres.

Gratulab.

Johan. Scharfius D. Præses.



Cognitio Logices quod sit res utilis illi
Testantur ter tres quos aluere Deæ.
Si Philo namq; Sophi nomen vis laude tueri;
Tunc Logices opus est cognitione tibi.
Si magni vis Theiologi defendere partes;
Notitiâ Logices non caruisse potes.
Prætereo reliquas, prodest quibus ipsa, lubente
Mente, Facultates, res quia nota sat est.
Ergo quis è sanis culpabit jure probandum
Edis quod specimen jam, FRIDERICE tuum?

Gratu



Gratulor hos ausus : vestigia docta Parentis
Docti, si perges hac ratione, premes.

M. Johan. Andreas Quenstedt
Quedl. Facult. Philosoph. Adjunct.

UT domus firmâ sine sede juncta
impetum venti male sustinendo,
sed tremens, lapsum minitando, tandem
corrui omnis.

Sic nec ad verum solidumq; rerum
culmen ascendit studiosa pubes,
ni basi structâ juga Palladea
aggrediatur.

Hoc probas SCHERERTZ Pylades suavis
non manu illotâ monumenta nosti
Codicis sacri, at reverenter esse
concupienda.

Ore nam Græco, Latio, atq; Hebræo,
& Syro doctus loquier : Sophorum
in Lyceo quid valeas, id hacce
pagina monstrat.

Gratulor cæptis, precor & medullis
ex meis, spretâ modo vanitate
seculi nostri, celebris Parentis
Nomen adoptes.

ita contubernali, commensali ac populari suo
dilecto in Logicis publicè disputanti
volante calamo gratulabundus accinit

Johannes Wigerus Lunæburgensis.

Eruditissimo atq; Eximio Dn. RESPONDENTI
Amico & Sympatriotæ suo dilectissimo.


NOn equidem ingenij sunt occultanda talenta,
Sed variis studiis multo sudore locanda.

Nam

Nam Largitori ratio certissima eorum!
Olim reddenda est: Væ, qui malè collocat illa!
Ait Te, SCHERERTZI, Tibi quas concessit JOVA
Ingenij dotes, scriptis sacrâsse Sophorum
Testaris, primùm jam pulpita publica scandens.
Ergo Tibi, studiisque Tuis de pectore toto
Gratulor, & Patriæ, cujus spes magna videris.
Quòd si ita Philosophùm scrutarier abdita pergas,
Nec Te perpetui pigeat vigilisque laboris,
Ipse DEIq; hominumque favor, tum præmia honorum
Maxima, quæ Sophia alma parat, Te certa manebunt.

Gratulabundus approperabat

Johannes Reimarus Lunæb.



Munere Theiologi tandem defungier ille
Ritè solet, quisquis doctorum scripta Sophorum
Impiger evolvit, vigilq; labore revolvit,
Hisq; imbutus, opus sumpsit tractare sacratum.
Hinc etiam laudi cedit Tibi, magna, SCHERERTZI,
Spes Patriæ, auspiciis quod docta reperta Sophorum
Scrutaris faustis, etiam conscendere pergis.
Hanc nostri cathedram summi celebrisq; Lycæi,
Ingenij monstrans dotes; feliciter, euge.
Sic pergas, poterisq; sacras penetrare Camænas,
His bene si functus fueris, doctumq; Virorum
Explebis numerum; voveo quod pectore toto.

Præstantissimo Dn. Respondenti Confalino
atque amico suo fraternè dile-
cto fundebat

Johannes Spiesmacher
Oldenburgo Frisius.

F I N I S.

05 A 1447

ULB Halle

3


003 781 674



WDM







Q. F. 20
DISPUTATIO LOGICA
De
SUBSTANTIA ET
ACCIDENTE.

Quam
D. T. O. M. A.
in florentissima LEUCOREA,
PRÆSIDE,
VIRO
Plur. Reverendo, Excellentissimo, atq; Clarissimo
DN. JOHANNES SCHARFIO
SS. THEOL. D. EIUSDEMQUE PROFESSORE
EXTRAORDINARIO, NEC NON LOGICES ET
METAPHYSICES ORDINARIO PUBLICO
CELEBERRIMO,


Publicè discutiendam
P.

FRIDERICUS SCHERERTZ

Lunæburgensis.

in Auditorio Majori

Ad D. XXII. Septembr. hor. matut.



WITTEBERGÆ,

Excudebat JOANNES RÖHNERUS, Acad. Typogr. Anno 1647.